



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. I. Crvx seruat à lapsu, vincit tentationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT PRIMVM.

CRUX seruat à lapsu, vincit tentationes.

Verbum CRVCIS Ihs qui salui fiunt,
Dei Virtus est. 1. Corinth. I, 18.

*Ne labar, CRVCIS hic fragiles labor atterit
artus,
Nam CRUCE malo premi, crimine quàm
perimi.*



IXDVM Staurophila animo re-
soluerat se abnegare, CRUCEM
tollere, Christum sequi; cum
simul tres validissimi atque va-
ferrimi hostes, Mundus, Caro,
Dæmon, in eius perniciem coniu-
rarunt. Vnicum his erat studium, à stadio CRVCIS Stau-
rophilam reuocare, sæculo reddere, & per
spatiosam viam in æternâ præcipitare dam-
nationem. Et nunc quidem aperto Marte,
nunc ex insidiis aggredi decernunt. Occur-
rebat in viâ collis quidam prominentibus
faxis hinc inde præruptus, non modicam
ascendenti præbens difficultatem: iuxta
hunc in dumeto quodam subdoli se abde-
rant inimici. Qui vbi grauius ingemiscentem

Verbum CRVCIS, ijs qui salui fiunt,
Dei virtus est. 1. ad Cor. 1, 18.



Ne labar, CRVCIS hic fragiles labor atterit artus,
Nam CRUCE malo premi, crimine quã perimi.

audierunt Staurophilá, opportunè prodeunt, & variis technis ad se pertrahere conantur. Hinc illecebras suas explicabat mundus, & quidquid oculis gratum, dignitates, honores, titulos, & magna ostentabat nomina: inde suauè blandiens caro, voluptates, delicias, & quidquid sensibus amœnum proponebat, vt tantò grauior appareret CRVX, quantò hæc talia crederentur dulciora. Ist-hinc diabolus occultis & fraudulentis suggestionibus animum incitabat, atque hæc irritamenta malorum, quâ poterat, ita depingebat, vt multò etiam appetibilia viderentur. Hærebat inter hæc etiamnum tyro in scholâ CRVCIS Staurophila, & quid ageret, quid statueret, vix ipsa nouerat. Nam cum tentatoribus his plusculum attenderet, neque ab eorum lenocinio generosè se expediret, prona iam ibat in præcipitium; & ruisset planissimè, ni benignissimus IESVS pone eam, ipso, quod gestabat, CRVCIS ligno retinuisset, & veluti fræno quodam reuocasset in viam. Post modicum porrò interuallum, quod ei ad se colligendum indulserat, ita eam affari cœpit:

Agnoscisne, Staurophila, virtutem CRVCIS? ecquid iam tibi videtur? Absque CRUCE fuisset, perieras funditus, hostium tuorum ludibrium & præda effecta. Quid enim

in præceptis rudentem sustinuit, quid reuocauit, nisi sola CRUX? Cui Staurophila: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordiæ enim tuæ deputo, bone IESV, quòd mala non perpetrarim, quòd in viâ peccatorum non steterim. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs in inferno habitasset anima mea. Quare confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Hem! istud sapere est, inquit Christus: & hoc intelligere te volebam; CRUCES, quas immitto, aut flagelli loco esse cum peccas, aut fræni ne pecces. Paterna manus est, quæ lapsabundos crebrò verberat vt reuocet; carnificis, quæ tardè, sed semel punit. *Vt medici sanguinem interdum prouidè dimittunt, non quia æger sis, sed ne aegrescas: sic Deus per CRUCES quadam adimit, materiem aliàs & fomitem futura vitiorum.* * Quosdam enim præsciens multa peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis ne peccent; vt eis utilius sit frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem. * Multi siquidem acceptâ sanitate lasciuunt. Qui egroti casti erant, sanati adulteri fiunt: qui dum egrotarent, neminem ledebant, receptis viribus inua-

Lipf. lib. 2.
de Conf.
cap. 9.

*Isidor
Hisp.
lib. 3. de
Summo
bono c. 3.

*August.
in Psal. 97.

inuadunt & opprimunt innocentes. O quàm multi sceleratè sani sunt, qui innocenter agrotarent! Vitia reciduntur ægritudine. Nimirum siluescit vitis, & in labruscas degenerat, nisi putetur: exorbitat homo, nisi flagelletur. Exclamabat hîc Staurophila: O Domine, refugium factus es nobis, non recedimus à te, bonas. Blandiris, ne fatigemur in viâ: castigas, ne aberremus à viâ. Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus à te, Domine, à quo etiam tribulatio, beneficium est? nam res prospera donum est consolantis, res aduersa donum admonentis. Et nuper me cuiusdam amici languor admonuit, optimos esse homines dum infirmi sunt. Quem enim infirmum aut auaritia aut libido sollicitat? non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit. Denique, ut quidam ait:

Luxuriat rarò discruciatata caro;

Contra verò,

Luxuriant animi rebus plerumque secundis:

Nec facile est aquâ commoda mente pati.

Quàm verè hæc, aiebat Christus, à te commemorata, tam velim eorum frequentius meminisse, & cum opus est, in opus conferre. Quò enim instrumentum, si eo non utaris? quid iuuerit medicina, si eam non sumas? quid proderit culter, si ad scindendum non adhibeatur? *Vtile quiddam est CRUX*

&

August.
Tract. 7. in
Ioan.

Clem. Ale.
xand. lib. 1.
Pædag.
c. 8.

Aug. Serm.
de Verb.
Dom.

August.
Epist. 87.

Plinius l. 7.
Epist. ad
Maxim.

Quid. l. 1.
de Arte
amandi.

August. in
Psalm. 50.

& tribulatio, vtile Medici ferramentum, contra diaboli tentamentum. sed nisi vtaris, ipsum tibi reddis inutile. Aduersa corporis, remedia sunt animæ. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat: languor vires libidinis frangit. Quid ni igitur vt talia suscipias & amplectaris? Incensâ domo gaudet possessor, si restinguendo igni aqua adferatur: cum peccati flamma in corde exardescere cœperit, misericorditer Deus tecum agit, si tribulationis aquam largiter super infundat. Væ autem his, qui in tribulatione positi, negligunt vitam emendare, & tam salutari remedio vt ad salutem. Vnde & Scriptura velut mirum quiddam enarrat, quod ægrotauerit Afa dolore pedum vehementissimo & nec in infirmitate suâ quæserit Dominum.

2. Paralip.
16, 12.

August. in
Psalm. 93.

Agnosco, inquiebat Staurophila, agnosco, Domine, diuitias misericordiæ tuæ. *Voluisti enim filios tuos erudire, & exercere laboribus, vt non essent sine timore, ne amarent aliquid aliud, & obliuiscerentur te verum bonum suum. Bonus es Deus. Si cessares, & non mires amaritudines felicitatibus sæculi, obliuiscerentur tui. Sed vbi angores molestiarum faciunt fructus animæ, fides quæ dormiebat, excitatur: & conuertuntur ad te, auersi à cupiditatibus suis prauis.*

Sed & alium, aiebat Christus, elicere fructum

Etum

Etum è CRUCE licet; nimirum eam non fræ-
 ni tantum loco cohibere à malo, sed ipsos
 etiam malorum incentores, diabolum ten-
 tantem, mundum allicientem, carnem blan-
 dientem profligare ac prosterne. CRUX Martial.
Episc.
Epist. 1.
cap. 8.
enim armatura inuicta est contra Satanam,
galea custodiens caput, lorica protegens pectus,
clypeus tela maligni repellens, gladius diaboli-
cas insidias appropinquare nullo modo sinens.
 In solâ CRUCE celestis victoria datur. Et ve-
 rò hac etiam gratiâ ego CRUCEM humeris Euthym.
in cap. 19.
Ioannis.
meis tuli, tamquam strenuus Dux lanceam,
*quâ deiecturus eram aduersarium, * ut qui in*
ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.
 * *Vt igitur Dux sumptis armis quibus facile se*
tueri possit, ea dat etiam militibus suis, sic &
ego feci, omnibus dicens: Qui vult venire post
me, abneget semetipsum, & tollat CRUCEM
suam, & sequatur me. Præfat. de
Cruce.
* Chrysoft.
Serm. 1. de
Ieiunio.
Matth. 16,
24.

Benedictus es Domine Deus meus, inquitabat Pf. 143, 1.
Staurophila, qui doces manus meas ad præ-
lium, & digitos meos ad bellum. Sed obsecro
 te, num hæc armatura Christiani militis à
 signo CRUCIS, an à CRUCE viuâ, quæ ipsum
 reuerà discruciet, sumenda? Cur non ab
 utroque, aiebat Christus; signum enim
 CRUCIS contra omnium dæmonum ma-
 chinamenta validissimum est præsidium. Cyprian. in
Serm. de
Pass. Dom.
 Huius signi tanta est auctoritas & potestas, ut
 non

non solum Israelitica limina munit, sed etiam ab his, qui Israeliticè non viuunt, solum Sacramenti signum repellat dæmonia. Nec minus virium habet tribulatio. Vt enim sal carnes à putredine & vermibus præseruat, non secus CRUX & afflictio mentem aduersus spirituales insidias præmunit. *Sapientis animus tolerantia rerum humanarum, contemptione fortuna, virtutibus omnibus ut manibus septus, vinci aut expugnari non potest.* Nam animus contra calamitates fortis & contumax; luxurie non aduersus tantum, sed & infestus est. Et vide, quæso, num huc vtrò etiam Sancti mei confugerint, cum blandientis Dominæ persentiscerent illecebras? An non Paulus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat, ne reprobus efficeretur? An non Benedictus, cum ei versutus dæmon speciem feminæ, quam aliquando viderat, obiecisset, tantoque libidinis igne animum eius accendisset, ut panè de deserendâ eremo deliberaret, abiectis ilicò vestibus nudum se in vrticas & vepres abiecit, & tamdiu in illis se volutauit, donec per cutis vulnera eduxisset vulnus mentis? & vide quo fructu, ex eo tempore, sicut post ipse discipulis perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, ut tale aliquid deinceps minime in se senserit. En quid agat tribulatio sponte af-

Cicero in
Paradoxis.

Senec.
l. 3. Natur.
quæst.
exord.

1. Cor. 9,
27.

Greg. l. 2.
Dialog.
cap. 2.

assumpta. Eodem spiritu Bernardus in lacum frigidâ tempestate, Franciscus in niues desiliit. Quorsum verò hæc? nisi quòd externa CRUX interiores tentationes vi suâ velut excutiat. Nisi igitur apprehenderis baculum CRUCIS, improbi canes latrare ac laceffere non cessabunt. *Si non vteris undique scuto patientia, non eris diu sine vulnere.* Benè est, inquiebat Staurophila, abundè est, *Pone me iam, Domine, iuxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me. Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu: tu es patientia mea Domine, spes mea à iuventute meâ.* IN CRUCE triumphabo de hostibus meis, & non conuertar donec deficient. O saluberrima CRUX quàm utilis nobis es! O quàm pauci agnoscunt potentiam virtutis tuæ!

Thomas
à Kemp.
lib. 3. de
Imitat.
Christi
cap. 35.
Iob. 17, 3.
Psal. 70, 3.



Pius et misericors est Deus, et remittet in
die tribulationis peccata. *Eccli 2, 13.*



*Culpa anime vestem maculauit, lauit IESVS
Sanguine, CRVX reliquum pulueris excutiet.*